



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Appellatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

bonum publicum, sed etiam contra bonum privatum, Covar. in Clem. 1 de homic. 2. p. §. 5. Cajet. 2. 2. q. 35. art. 7. & Sot. in tract. de rat. leg. vel deleg. secr. Navar. in c. periculose, n. 6. in gl. de pœnit. dist. 1.

Septimò, accusari an possit quis pluries de eodem crimine, vide c. per scripta, §. libellorum, 2. q. 8. Covar. lib. 2. cap. 10. var. resol. §. accusatus actore non probante an sit diffinitive, vel ab observatione iudicii absolvendus? vide, & distingue cum Covar. lib. 1. c. 1. nu. 8. & lib. 2. c. 10. an cum clausula novis supervenientibus.

Octavò, accusans falsò, vel calumniòse, punitur, cap. cum dilectus, de calum. & c. qui non probaverit 2. q. 3.

Nonò, quando quis teneatur accusare ex officio: vide multa per Felin. in d. ca. cum dilectus, ubi ponit quinque causas.

## APPELLATIO.

## SUMMARIUM.

- 1 Quando liceat appellare à sententia suffraganei ad Metropolitanum.
- 2 Quando appelletur à sententia excommunicationis suffraganei ad metropolitanum, qua paxi sit utendum.
- 3 An sit necesse appellare coram iudice à quo, & ab eo admitti, vel an sufficiat habere recursum ad superiorem & remissivè, n. m. 19.
- 4 An possit iudex à quo absolvere ad tempus excommunicatum appellantem, pendente lite cum reincidentia.
- 5 Quae differentia sit, quando appellatur ab interlocutoria, seu gravamine, & quando à diffinitiva, quoad iudicem ad quem.
- 6 Quodnam dicatur gravamen irreparabile.
- 7 Qua forma sit inhibendum Episcopo.
- 8 An ab Episcopo exempto, qui tamen semel eligit in Conc. provinciali Metropolitanum, sit appellandum ad dictum Metropolitanum electum.
- 9 An omnis appellatio sit admittenda, & maximè quando appellatur à comminata tortura, vel à comminata censura Ecclesiastica, vel à notorio facto.
- 10 An teneatur suffraganeus assentiri omnibus inhibitionibus sibi factis à Metropolitanò.
- 11 An liceat appellare à sententia interlocutoria, sive ab excommunicatione etiam elapso decennio.
- 12 Quando metropolitanus est iudex contra Episcopum sibi subditum.
- 13 Quibus casibus possit metropolitanus cognoscere de causis subditorum sui suffraganei etiam sine appellatione.
- 14 An lata excommunicatione in aliquem possint ante decennium affigi cedulones.
- 15 An iudex à quo, possit arctare terminum ad prosequendum, sive petendum Apostolos.
- 16 Quando Archiepiscopus possit esse iudex inter suos suffraganeos.
- 17 An possit adiri metropolitanus per viam quarelae, quando sublatum esset remedium appellationis.
- 18 An deferens appellationi ob reverentiam Sedis Apostolicae, vel cuiusvis superioris, totam jurisdictionem à se abdicet.

20. *Quibus expensis est rescribendus processus in causa appellationis.*

21. *Quotuplex terminus conceditur appellanti.*

22. *Quando iudex potest exequi sententiam suam, si non detulit appellationi.*

23. *An appellatio suspendat interdictum, & cessationem à divinis.*

**A**D Primum. Sac. Concil. Trident. *sess. 24. cap. 20. de refor.* dicit solum in trib. casibus posse appellari à suffraganeis ad metropolitanum. Primò à diffinitiva, quæ imponit ultimam manū liti. Secundò ab interlocutoria habentem vim diffinitivæ. Tertiò à gravamine irreparabili, quod per diffinitivam nō potest reparari, quænam sit differentia inter sententiam diffinitivam & interlocutoriam habentem vim diffinitivæ, vel interlocutoriam simpliciter, vide pro practica, Maran. 6. p. tit. *de sent. à n. 1. usque ad 46.* vide Bal. *in l. in princ. C. sent. rescin. nō poss.* Boer. *decis. 79. n. 8.* Conc. Later. sub Leone X. *sess. 10. §. sacro.* Concil. Trid. *sess. 13. c. 1. de refor.* Similiter sac. Congr. *decl. 283.* censuit in hæc verba: *Facultas concessa appellandi à sententia alicujus Archiepiscopi, qui sit nullius diocesis ad Episcopum, intelligenda est, ut nullam in causa interpositas appellationes à sententiis Archiepiscopi, ad se prædictus Episcopus advocet, nisi vel à diffinitiva sententia dicti Archiepiscopi, vel ab ea, quæ sententia diffinitivæ vim habet, & cujus gravamen per appellationem à diffinitiva sententia reparari nequeat, appellatum fuit.*

Ad secundum. *c. venerabilis. de sent. excom. lib. 6. §. porrò, & c. per tuas, cum similibus,* habetur, metropolitanum de-

bere ante litis ingressum absolvere appellantem, quæ absolutio appellari solet habilitatio, ad hoc, ut possit appellans agere in iudicio, etiam parte adversa reluctantante, *c. qua fronte de appellat.* tamen, quia hoc videbatur periculofum, nam appellans videns se sic absolutum, vel ad cautelam vel habilitatum ad actus judiciales, indifferenter conversabatur cum omnibus, & non existimabat censuras illatas contra ipsum ab ipsis suffraganeis in contemptum suffraganeorum, ac censurarum, ad inventa est alia praxis, & sic iudex ad quem recepta appellatione inhibet iudici à quo, ut per dies aliquot non procedat ad ulteriora, & ut transmittat acta, quibus transmissis, & visis in curia metropolitana, iudicari potest, juxta *d. c. venerabilibus,* & sane, & si invenerit bene appellatum, & male iudicatum, vel ipsemet absolvet appellantem, vel ad suffraganeum, ut eum absolvat, remittet: si malè, remittat reum ad iudicè, ut ipse absolvat: si est dubium, tunc superior si vult deferre suffraganeo potest appellantem remittere, & si non vult deferre, potest eum absolvere, vide Anch. *in c. solet, n. 3. de sent. excom. l. 6.* & Abb. *in c. per tuas, n. 2. de sent. excom.* & hoc practicitur, quando appellatur post excommunicationem: si verò antequàm incurfa sit excommunicatio, superior inhibet, ut supra, & viso de iniustitia actoris, præcipiat, ut ad ulteriora suffraganeus non procedat, & hæc praxis est fundata in doctrina Abb. *in c. per tuas, num. 13. de sentent. excomm.* quam videas, & sic vidi practitari in tribus Archiepiscopatibus: vide tamen Covar. *in c. alma mater, 1. p. §. ult. à*

D

num-

num. 7. usque ad finem, gl. in c. 1. in ver. *pratermissi*, de for. comp. lib. 6. & gl. inc. *ut debitus*, in ver. *alioquin*, de appellat. Vide omnino in cap. *Romana*, §. *sententias*, de appellat. lib. 6. ubi habet bonam practicam, & ibi Gemin. ver. *quero*, an excommunicatus.

Ad tertium. Cap. *ut debitus*, de appellat. dicit, appellationem debere ab appellante proponi coram iudice à quo, & Maran. 6. p. tit. de appellat. num. 153. dicit non solum appellationem debere proponi coram iudice à quo, sed causas gravaminis specialiter, & quod, qui facit oppositum, errat, per d. c. *ut debitus*, & gl. ibi, in ver. *discatur*, in c. *verò dilecti*, il 2. eo tit. dicitur, sufficere, appellare facto, id est, per arreptionem itineris ad superiorem, tamen gl. cit. concordat dicta duo capita, & juxta d. c. *dilecti*, vidi praticari in multis curiis metropolitanis, tamen tutius est praticari d. c. *ut debitus*, prout gl. & Doct. ibi. quando verò sufficiat appellari facto, ut per itineris arreptionem, vide Gom. in q. 11. & colum. 2. de impet. benef. per ob. fam. Card. Grillan. de fug. carce. num. 20. Foller. de compar. in pract. crim. num. 7. Boer. decis. 1. numero 24. Guid. Pap. q. 25. & 426. numero 5. & 59. & 62. melius, & numero 67. per totum. ubi habes pulcherrimam in hac materia.

Ad quartum. Respondetur affirmativè, Covar. loco citato, §. 11. à num. 6. ubi dicit, quod licet excommunicatio verè non possit suspendi, tamen nihil impedit, quin ab ea detur absolutio ad certum actum, vel tempus, quo finito, ille seincidit in eandem excommunicatio-

nem, ut priùs, & dicitur absolutio cum reincidentia, facit c. *veniens*. il 2. in fi. de test. & c. *de catero*, & ibi Abb. n. 2. de sentent. excomm. ratio est, quia absolutio ab excommunicatione non est sacramentalis, nec pertinet ad ordinem, sed ad jurisdictionem, Innoc. in c. *tansa*, n. 3. de exceſ. pralat. idem loc. cit. num. 10. Sylvest. in ver. *absolutio*. 1. num. 2. Navar. cap. 27. num. 41. & hoc, vel quando pendente causæ cognitione, esset magnum festum, & ille vellet vivere more Christianorum & fidelium, vellet quærere testes, vel scripturas pro sui defensione, facit c. 2. in 2. resp. de sent. excomm. lib. 6. & sic vidi praticari, praticavi, & obtinui in multis metropolitanis.

Ad quintum. Videtur primò gl. in d. c. *ut debitus*, in ver. *alioquin*, & gl. in c. 1. in ver. *pratermissi*, de foro comp. lib. 6. Maran. 4. p. d. 6. n. 26. & Covar. pract. quest. cap. 9. n. 5. concl. 1. & an semper cognitio de gravamine, devolvatur negotium principale ad ipsum metropolitanum, vide Gom. in c. *si annum*, n. 11. de iud. lib. 6. c. *olim*, de excep. ubi non semper devolvitur principale negotium, quando appellatur de exceptione jurisdictionis, vide dec. *Rota* 1. de offi. deleg. in novis. & addit. ibi. n. 2. vide Staph. de lit. grat. fol. 319. n. 2. Covar. pract. q. c. 9. n. 5. per quinque conclusiones. nec quando pronunciat Iudex ad quem malè appellatum, quia tunc non devolvitur ad eum negotium principale, Gem. in c. 1. §. *post hac*, in fin. de appell. l. 6. nec quando constat appellationem non fuisse legitimam ab interlocutoria, Gom. in c. *Romana*, §. *si*, de appell. libro

*lib. 6. notab. 2.* & an hoc valeat in iudice, etiam delegato, ut cognito de interlocutoria, procedere possit ad negotium principale, Secundo, quod dum appellatur ab interlocutoria, non suspenditur iurisdictio iudicis à quo, nec attentata, antequam inhibeat, revocantur per iudicem ad quem, Guid. Papa *quest. 74. capitulo non solum, de appellat. lib. 6.* & hoc intellige, ni detulisset, quia tunc ligantur ejus manus ex tunc, Maran. 6. *parte de appel. n. 209. & 182. & decis. Rota 1. de offic. delegat. in novis.* Tertio quia appellatio ab interlocutoria justificatur ex deductis, & non ex deducendis, *Clem. appellanti, de appel. & gloss. ibi. in ver. probandis.* Quarto, nec sententia lata post appellationem ab interlocutoria, est nulla, *deciso Capuaquens. 34.* & ita dicit fuisse tantum die 4. Decembris, 1551.

Ad Sextum. Responderetur, quod quoad istam materiam gravamen irreparabile dicitur omnis actus irretractabilis, excommunicatio, carceratio, tortura, & alia hujusmodi, Abb. *in c. cum in contemplatione, n. 4. de reg. jur.* Maran. 6. *p. tit. de appel. n. 216.* Jo. And. *in c. dilectus, il. 2. de resc. Phil. in c. super eo, il. 2. c. 1. de appel. Direct. inquisit. 3. p. n. 151.* Syman. *de Cath. instit. tit. 65. n. 20.* Ratio est, quia excommunicatio non potest per diffinitivam reparari, quin excommunicatus non sit aliquis, sic, vel carceratus, vel tortus, nam sunt actus ferentes secum executionem in instanti: vide Bald. *in marg.* Innocen. *in verbo appellari.* hinc oriuntur multa dubia, primum, an ab omni carceratione liceat appellare? Secundo, an ab omni comminata tortura?

Tertio, an ab omni excommunicatione? Ad primū dicitur, quod non, nisi quando gravaretur in carceratione, *Phil. loc. cit. & in c. ex parte, il. primo, col. 2. de appellat.* & hoc esset quando vel quis detineretur injuste, vel quando causa esset in limine expeditionis, & suffraganeus nollet eum expedire, nec obstat quod suffraganeus posset dicere. Ego habeo tempus duorum annorum ad expediendam causam, *c. 20. sess. 24. Concil. Trid.* quia, concessio, quod illud nomen causæ possit sumi pro criminali, & civili, prout Card. *in Clem. 1. q. 18. de offic. vic.* & Maran. *5. p. n. 66.* licet appellatione causarum generaliter facta, non comprehendantur causæ criminales, quando scilicet committuntur simpliciter causæ, *argum. c. licet, & ibi Gemin. notab. 4. de offic. vic. lib. 6.* Illud intelligitur quando causa esset non bene instructa, & adhuc esset opus processu informativo, vel aliis necessariis ad causam: sed quando omnia sunt completa, & nihil aliud restat, nisi expeditio causæ, tunc suffraganeus detinens carceratum injuste faceret, & ille carceratus posset appellare, & jure appellaret tanquam gravatus, *cap. 1. de appellat. lib. 6. c. non ut, 2. q. 6. & c. cum sit Romana. de appellat. cum aliis vulgatis;* secus verò quando suffraganeus carceraret aliquem, & staret adhuc in processu informativo, quia ille tunc non posset appellare, nec esset appellatio admittenda. Ratio est, quia suffraganeus non posset carcerare aliquem, quin semper carcer diceretur gravamen irreparabile, & sic semper deludetur tribunal suffraganeorum, &

ad hoc facit *decis. Rot. 1. ut lite pendente, in novis. numero. 7. Et ibi addit cap. de priora, de appellat. lib. quoniam iudices, C. de appellat. Staph. de lit. grat. fol. 297. numero 1. 2. Et 3. Gom. in cap. dispendia, numero 10. de rescrip. Bald. in l. apertissimi, in 5. notab. C. de iudic. quibus iuribus & doctrinis prohibetur appellatio ab interlocutoria, quando non iuste appellaretur, prout patet ex dictis: ad quod animadvertere debent metropolitani, ne defacili obruncant capitibus causas suorum suffraganeorum, facit quod dicit Guid. Pap. *quest. 236.* & quando quis dicatur iuste carceratus, vel iniuste, vide Bald. *consi. 40. Et 41. vol. primo, in lib. 1. in princ. colum. 7. de quest. Et in sua pract. crim. §. attingam, num. 47.* & sic videbis an possit appellare ab injusta carceratione, vel non, vide Boer. *decis. 215. numero 34.* Ad secundum dicam *inferius, §. 9.* Ad tertium dicam *ibidem.* Possit etiam appellare, quando quis capitur carceratus, si iniuste carceraretur, vel haberet iniquum iudicem, vel timeret ejus tyrannidem, *cap. omnis oppressus, 2. q. 6. Sotus lib. 5. q. 6. art. 3. de just. Et jure, cap. fin. de accusat. lib. 6. Et ibi gl. in ver. reclamante. Covar. pract. qq. tit. 23. Vide Gemin. in c. 1. de suppl. negl. pral. lib. 6.**

Ad Septimum. Est notandum illud quod dicitur *in c. 1. §. officiales, de offi. ord. l. 6.* & ibi Gem. *in gl. c. secundo, & ibi gl. in ver. aliter, de offi. deleg. eod. l.* & Staph. *de lit. grat. fol. 291. n. 4.* ex quibus habentur duo, quod Archiepiscopo existenti in provincia non potest Vicarius ejus generalis ferre sententiam alicujus censurae ec-

clesiasticæ in suffraganeum. Rebuff. *in pract. benef. in for. Vicinum. 164.* sed hoc intelligit de sententia diffinitiva censuratum, & non quando Vicarius generalis metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis, sed interdicti. Secundum quod quotiescunque inhiberetur, vel præcipitur aliquid, non inhiberetur Episcopo sub pœna excommunicationis, facit *d. c. de offi. deleg. Et c. 1. de cler. venat.* quod animadvertere debent omnes ordinarii, & delegati apostolici, quando inhihent Episcopis, quia vidi multos decipi in hoc, Staphil. *ubi supra.*

Ad Octavum. Dico primum, quod electio semel facta ab Episcopo exempto de metropolitano, ad cujus synodum convenitur, ligat successores, similiter electio facta à prælatis illius diœcesis provocationibus declarat. *fac. Congregat. 7. Concil. Trid. sess. 24. c. 2. de reform. & hoc extenditur etiam quoad appellationes, & ita audivi practicum fuisse in archiepiscopali curia Genvensi, ad quam appellatū fuit ab Episcopo, quia qui semel elegit, non potest iteratò eligere, & comprobatur ratione: nam ista electio semel facta, ligans etiam successores parum deservit, si solum facta esset, ut deinceps exemptus, qui alias non tenebatur, debeat ad Conc. provinc. accedere, & ut sua in diœcesi utatur constitutionibus in Conc. provinc. editis, nisi ad appellationes etiam extendere-tur, ad hoc ut commoditati & dispendiis litigantium succurreretur, *arg. c. nonnulli, de rescrip. Et c. statutum, §. cum vero, eo tit. l. 6. Clem. dispendiosa, de jud. Cōc. Trid. sess. 25. c. 10. Et sess. 24. c. 20. de reform**

*form. & licet rationes adductæ sint probabiles, tamen contrarium videtur elici à sac. Conc. sess. 34. c. secundo, §. in reliquis, nam ibi tantummodo videtur obligare Episcopos exemptos ad eligendum semel metropolitanum, quæ electio ( ut sæpè dictum est ) obligat successores, ita eessente eadem sac. Congreg. sed an teneantur ad observandas constitutiones factas in Conc. provinciali, videtur clarè colligi ex dicto sac. Concil. in illis verbis, & qua ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant, in reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia salva atque integra maneant. facit quòd devolutio beneficii Episcopi exempti, fit ad Papam, & non ad metropolitanum, licet etiam quòd Illustrissimus & Reverendissimus Scipio & Getualdus Archiepiscopus Compzanus fecerit me videre quandam declarationem ejusdem Congregationis, qua censebatur exemptos Episcopos, nec teneri ad servandas constitutiones factas in dicto Conc. provinciali, quod mihi visum est quodammodo oppositum dictis verbis.*

Ad nonum. Respondetur primò, quòd quando omnia ritè & rectè processerunt, ut quia datæ fuerunt defensionnes, & repulsa concessa, cum esset petita, & publicatus processus, & auditus reus in omnibus suis juribus, cum ejus procuratore, & advocato, & indicia non sunt evacuata per defensionnes, & alia requisita acta sunt, & videtur potiùs appellari ad dilatandum, & ad differendum sceleris punitiones, quàm tunc, non debet admitti appellatio à comminata tortura, Covar. *pract. quæst. 6. 23.*

*num. 5. concl. 1. ver. tertium. Navar. in c. inter verba, conclusio. 64. juxta finem, 2. q. 3. Foll. pract. crim. f. 227. n. 5. Diaz. in pract. crim. can. 117. Secundò, quòd à communi- catione debet admitti, c. per tuas de sent. excomm. c. ad audientiam, de appellat. c. solet, de sent. excomm. libro sexto, Navar. c. 27. num. 4. Sylvest. in ver. excommuni- catio, 2. num. 1. & ver. absolutio, 2. §. 6. c. venerabilibus, §. sed si, de sent. excomm. lib. 6. cap. ad reprimendam, de offi. ordina- riu, Guid. Pap. q. 436. num. 33. & num. 15. & quæst. 75. num. 2. fallit in notoriis cri- minibus, & publicis, c. pervenit, c. pa- storalis, §. verò, c. cum sit Romana, §. preterea, de appellat. Abb. in c. Parochia- nos, num. 2. de pœnit. & remis. Covar. in c. alma mater, 1. par. §. 2. num. 9. Sic etiam in omnibus appellationibus frivolis, c. cum appellationibus, & ibi scribentes, de appellat. lib. 6. & idem observari potest in causa fidei, Direct. inquit. 3. part. nu. 151. Sim. de cath. institut. tit. 65. num. 20. ubi habetur, quòd quando frivola esset appellatio à tortura, non esset appellatio admittenda etiam in causa religionis, vi- de de hac materia Guid. Pap. quæst. 74. numero secundo, decis. Rot. 58. de appellat. in novis, per l. si quis provocatione, C. de ap- pellat. c. non ita, 2. q. 6.*

Ad decimum. Respondetur ex Conc. Trident. *sess. 13. c. 1. de refor. & sess. 24. c. 20. de refor.* ubi habentur hæc verba: *Nec Episcopus, nec Vicarius appellationi hujusmodi tanquam frivola deferre teneantur, nisi in illis tribus casibus, de quibus supra, in §. 1. & sac. Congregat. declarat. 181. ita censuit: Archiepiscopus non debet se ingerere in prima instantia causarum*

qua agitantur coram eius suffraganeo, & in alia declaratione quæ est 2. 11. dicitur, *Non est inhibendum Episcopis in aliqua causa, qua fit coram eis in prima instantia, nec deferendum appellat.* nisi in illis tribus casibus de quib. sup. adest Bulla Greg. XIII. quæ est 24. f. 220. in Bullario.

Ad II. Dico primò, quòd excommunicatio est sententia interlocutoria, gl. in sum. 2. q. 1. Fel. in rub. de re jud. columna 9. Maran. p. iii. de sentent. num. 40. Abb. in rub. de re jud. & in rub. de sent. excom. Gemin. in c. 2. vers. Nota ergo, de const. lib. 6. ex Im. Lapo, & Joan. Andr. & ex communi. Secundò, nunquam transit in rem judicatum propter periculum animæ, & hoc quoad publicam utilitatem, quæ concernit animas, sed quoad privatam bene transit, Abb. in c. consanguinei, col. penul. de re jud. gl. in c. cum cessante, in ver. somminando, de appellat. Tertiò non ligat manus iudicis, quin transacto decennio possit eam revocare, vel reum absolvere, & hoc quia est interlocutoria, decis. Rot. 3. de offi. in novis. Sylvest. in ver. appellatio, num. 8. Fel. loc. cit. colum. 9. Innoc. in c. sacro, num. 13. de sentent. excom. Quartò, transactis decem diebus, non potest excommunicatus amplius appellare, Abb. in c. ad reprimendam, de offi. ordinarii gl. in d. c. cum cessante, de appellat. Maran. tit. de appellat. num. 115. cum sequenti. Quintò, tamen si appellat post decem dies, iudex ex æquitate debet admittere appellationem, in d. c. ad reprimendam, in ver. suspendatur. & sic vidi practicari. vide Bal. in margar. Innoc. in ver. sent. excommunicationis. Sextò, sed ista appellatio non suspendit istam ex-

communicationem (& quòd dico de excommunicatione, intellige de omnibus censuris ecclesiasticis,) cap. ad hæc, il secundo, capitulo pastoralis, §. verum, de appellat. Ratio est, quia censuræ ferunt secum executionem. videto Bald. ubi sup. in ver. interdictum, & Guid. Pap. quæst. cit. num. 88. quando quis potest appellare post decem dies. Innoc. in c. venerab. de sent. excom. & additio ad q. 29. Cap. Tolos. dicit quòd licet excommunicatus post decem dies non audiatur per viam appellationis, tamen potest audiri per viam querelæ. Septimò quòd interlocutoria iudicis continens notoriam injustitiam, potest revocari etiam parte non citata, d. c. cum cessante, & Gemin. in c. 1. notab. 2. de supplend. negligent. prelat. lib. 6.

Ad duodecimum. Vide quæ dixi, in ver. Archiepiscopus, §. 1. & inferius, §. 16.

Ad decimum tertium. Vide gl. in c. pastoralis. in ver. exceptis quibusdam, ubi enumerat multos casus, quibus Archiepiscopus potest procedere absque appellatione contra subditos suorum suffraganeorum. Ratio ipsius est, quia in calib. Archiepiscopus est iudex ordinarius totius provincie, facit capitulum primum, §. sanè, de cens. libro sexto. nec iis iuribus derogatum est sac. Concil. Trident. cum solum loquatur de appellat. & à jure antiquo non est recedendum, nisi quatenus in novissimo fiat exceptio, l. precipimus, C. de appellat. vide Anchar. in c. Romana, num. 1. de sentent. excomm. lib. 6. vide Hostien. in sum. tit. de offi. ordin. §. sunt autem distincta, num. 7.

Ad decimum quartum, Dico primò,  
fi



si iudex excommunicat, aliquem, eumque sic declarare decernit, potest lata sententiâ declaratoriâ, statim facere affigere cedulones, etiam durante decennio: ratio est, quia licet excommunicatus posset appellare, tamen non propter hoc potest impediri denuntiatio per cedulones, quia illa cedulorum affixio nihil aliud est, quam illius sententiæ manifestatio; siue potius executionis promulgatio, & non executio, quia excommunicatio fert secum executionem, *capitulo pastorali*, §. *verum*, gl. *ss. in capitulo non solum*, in verbo, *innovata*, de *appellat. libro sexto*, gl. *ss. in capitulo venerabilibus*, §. *porro*, in verbo, *appellatum*, de *sententia excommun. libro sexto*. Covar. *pract. quest. capitulo vigesimo tertio*, num. *tertio*. ver. *Illud*, Maran. *sexta parte*, tit. de *appellat.* num. 177. Ratio rationis est, quia appellatio à sententia excommunicationis non impedit illius executionem, nec minus cedulorum affixionem impedire debet. Secundò, si iudex veller declarare aliquem incurrisse sententiâ excommunicationis, illumque citaret ad dicendum causam quare non debeat declarari excommunicatus, tunc illo non comparente iudex debet expectare decem dies. Ratio est, quia à declaratoria potest appellari, antequam feratur sententia declaratoria, & affixio cedulorum, & illa appellatio impediret sententiâ declaratoriâ, si appellaretur ante, sed non post declaratoriâ. Fel. in *capit. cum non ab homine*, col. *fi. de jud.* Tertio, quando essemus in notoriis, ut in percussione publica clerici, vel notorio adulterio, & similibus, licet quis appel-

laret à declaratoria, non tamen propter hoc deberet impediri executio, & cedulorum affixio, *cap. perveni*, il. *1. de appellatio*. Abb. in *Clem. 2. num. 6. de pœn.* & hoc etiam sentit Covar. in *c. alma mater*, 1. p. §. *2. num. 9. infr.* Quartò, quia sic videtur fervare Curia Romana: nam adiutor Camerae eadem die publicavit excommunicationem, & affixit cedulonem in Acie campi Floræ. recitat Caputaquens. *decis. 324. prima parte*, in qua etiam habet, universitatem posse excommunicari, quod etiam sentit Navarr. multis in locis *cons. 7. 8. & 9. de sent. excom.*

Ad decimum quintum. Potest iudex à quo arctare terminum appellanti ad prosequendum, seu petendum apostolos, illudque limitare. *c. personas*, *c. cum sit Romana*, *c. ad aures*, *cap. sepe*, *c. cum similib. de appellat.* Maran. *6. p. tit. de appellatio*. num. 205. tamen hoc fallit in beneficiis, ubi non potest arctari terminus juris ad prosequendum, nisi utraque parte consentiente, Phil. in *cap. cum sit*, col. *fi. de appel.* & *cap. constitutus*, il. *2. col. 2. eo. tit.* Maran. *loc. cit. num. 415. gl. in cap. penul. de offi. ordi. lib. 6.* Decis. Rot. 85. de *appel. in antiquis*, & 32. de *appel. in novis*. hinc fit, quòd malitia, vel fraus, vel infirmitas procuratoris, vel ipsius principalis quo minus potuerit prosequi appellacionem, non causat desertionem causæ, *decis. Rot. 25. & ibi addit. de appell. in novis.* Gom. in *quest. 9. de infir. resi.* & *tract. de privileg. infir. privileg. 57.* vide Bald. *citatus inferius* §. 21.

Ad decimum sextum. Respondetur primò, si lis est inter Episcopos suffraganeos, tunc Archiepiscopus est eorū iudex compe-

competens, cap. sanè, de for. compet. & gloss. in capitulo pastoralis, in ver. inuicem, de offi. ord. Covar. pract. questio. capitulo 9. versiculo 2. Secundò, si lis est inter Episcopum & subditos ejus, tunc est distinguendum: si Episcopus est reus & subditus actor, tunc Archiepiscopus est iudex competens Episcopi, capitul. si clericus, II. questio. 1. & ibi gloss. in versiculo audiatur. Ratio est, quia actor sequitur forum rei, capie. quamvis, de for. compet. Si verò Episcopus est actor, & subditus reus, tunc debent eligi arbitri, ad quos eligendos Episcopus ipse potest cogere subditum, gloss. in d. capitulo, si clericus, in ver. arbitror. Abb. in capitulo cum Apostolus, numer. 4. de censibus, Maran. 6. parte tit. de appellat. num. 376. & à sententia ipsorum arbitratorum non appellatur ad metropolitanum, sed ad Papam, Gloss. in capitul. arbitris, de appellat. libro 6. & hunc casum habui in facto cum esse Vicarius in Archiepiscopatu Compzato, & sic fuit responsum à sacr. Congregatio. in causa Episcopi S. Angeli Longobardorum, & presbyterorum terræ Leonum, vide Iser. in usu feud. rubr. ult. in fin. num. 16. & Capyc. decis. 137. nu. 3. § 4. vide Concilium Antiochenum can. 14. § 15. Host. in sum. tit. de offi. ord. § quid pertinet, num. 3. cum allegatis ibi, & melius infra num. 7.

Ad decimum septimum. Responderetur ex gloss. in c. ad reprimendam, in ver. suspendatur, in fine, de offic. ordin. & ibi Abb. in cap. literis, col. ult. de offi. ordin. & in cap. dilectio, de appellat. & Phil. in cap. directa, col. pœn. de appellat. Felin. in cap. lator, col. 3. de iud. quòd sic idem Maran.

6. par. tit. de appellat. num. 115. cum sequenti, § tit. de sent. excom. num. ult. tamen Covar. pract. qq. c. 9. n. 2. dicit quòd non, per c. 1. de offic. leg. & ratio ipsius est, quia per viam querelæ potest adiri solum ille iudex, qui potest absque appellatione cognoscere causam; sed Archiepiscopus non est iudex, nisi appellationum, prout patet iuribus vulgatis; ergo, &c. Ego autem dicerem, prout in §. procedenti, quia suffraganeus quando committeret aliquid iniustitiæ in causa, vel sententia, posset tunc adiri metropolitanus per viam querelæ, quia modò Episcopus est reus, & querelans actor, & visò de iustitia causæ, præcipiatur suffraganeo sententiam revocari, vel quòd revideatur in audientia metropolitana, Covar. loc. cit. cap. 10. num. 115. vel eadem ratione, sed de hoc videto etiam Maran. loc. cit. num. 115. vide Abb. in ca. sacro, nu. 6. de sent. excom. admittit viam querelæ in censuris ecclesiasticis. Gemin. in cap. Romana in 3. notab. de fer. comp. lib. 6. dicit, quòd non, nisi suffraganeus consentiat, idem in c. 1. §. per hoc, vers. sed an iudex, & hoc magis congruit causæ sacr. Conc. Irid. sed vide eundem in c. 1. ver. consuluit tamen, de suppl. negl. pralat. lib. 6. ubi videtur admittere recursum ad metropolitanum in gravamine. & in cap. s. Abbate, §. huiusmodi, notab. 3. hoc solum admittit, quo ad legatum de latere, qui potest adiri per viam querelæ ab omnibus de provincia.

Ad decimum octavum. Videto Phi. Franc. in c. dilecti, il 3. q. 9. § 11. de appellat. Maran. loc. cit. n. 382.

Ad decimum nonum. Responderetur  
affir-

affirmativè, *cap. ut debitus, & ibi notata, de appellat.* Guid. Pap. *quæst. 43. num. 79.* & hoc quando concedit Apostolos reverentiales, secus verò, quando dum quis appellat dicit iudex: Admittatur appellatio, si, & in quantum, & concedit Apostolos refutatorios, ita est in praxi.

Ad vigesimum. Respondetur, quòd sac. Concil. Trident. *sess. 24. capit. 20. de resor. §. preterea,* dicit quòd appellans teneatur acta omnia coram iudice à quo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, appellatus verò si voluerit uti illis, teneatur proportionè sua subire expensas.

Ad vigesimum primum. Vide Bal. *in marg. Innoc. in versic. terminus & in ver. malitia,* ubi multa dicit.

Ad vigesimum secundum. Vide Bald. *loc. cit. in ver. iudex,* ubi multos enumerat casus pro practica.

Ad vigesimum tertium. Vide Covar. *in c. alma mater, 2. p. §. 2. n. 1.*

## AFFINITAS.

PRimò, Affinitas est unum ex impedimentis impediens & dirimens matrimonium, usque ad quartum gradum inclusivè, *c. non debet, cum vulgatis, de consanguin. & affinit.*

Secundò, contrahitur etiam in coitu fornicario, & parit impedimentum, prout *in ver. matrimonium, §. 12. & 13.*

Tertiò, non contrahitur, quando fit copula extra vas debitum, vel ibi non seminatur. *Sot. 4. sent. dist. 41. quæ. uni. art. 2. Flor. Theol. in 4. sent. tract. de affinit. art. 1. concl. 4.* neque per coitum sodo-

miticum contrahitur affinitas, *c. extra ordinariam, 35. qu. 3. & ibi gloss. Capella Tolos. quæst. 96. & ibi additio. & Navar. consi. 4. de cons. & affinit.*

Quartò, licet inter virum & uxorem non sit affinitas, cum sit potius principium affinitatis, tamen in favorabilibus veniunt appellatione affinitatis, sive affinium, prout in iure protim. & compromissi. *Novel. de iure protim. §. primus, num. 39. & 40. Tiraq. de viroque retract. §. 14. gloss. 2. num. 19.* vide etiam *Iser. in c. quæ sunt regalia, §. bona vacantia, vers. 1. additio, num. 26.* Est alia affinitas spiritalis, de qua *in ver. baptismus,* & in qua nunquam legitur Papam dispensasse. *Abb. capit. accepimus, num. 6. de purg. san.*

## ADVOCATUS.

PRimò, Advocatus quando non est stipendio publico conductus, potest per iudicem compelli ad patrocinandum causis, & litibus pauperum: si nolit, potest ei interdici officium advocandi, & potest peccare mortaliter, vel venialiter in casu contrarii, secundum circumstantias causarum, & necessitatis pauperis litigantis, *Covar. pract. quæst. cap. 6. num. 4.*

Secundò peccat mortaliter, revelando secreta sui clientis parti adversæ, *Navar. c. 25. à n. 28. & infra. Sylvest. in ver. advocatus,* & puriori uti prævaricator, *l. 1. ff. de prævaric. sed quid in procuratore? vide §. si quis instrumentum, l. si quis aliquid, ff. de poenit. Iser. quibus modis secundum admittatur, il. 2. per totum.*

E

Tertiò,